



A-C.102/8





A. Cap. 10218

1005

62929

323

IN STUDIORUM

INSTAURATIONE

COLEGII IMPERIALIS MATRITENSIS

Societatis Jesu

ORATIO


DE CONCORDIA AETHICÆ CUM REVELATIONE

Habita xv Kalendas Novembris anni MDCCCXXVII

à Patre Nicolao Montemayor,

STUDIORUM PRÆFECTO

Eloquentiæ et Disciplinæ Ecclesiasticæ Professore.



Superiorum permisit.

Matriti: Apud Eusebium Aguado, 1827.

IN STUDIORUM

INSTITUTIONE

COLLEGI IMPERIALIS MATRITENSIS

Societatis *Disputandi*

ORATIO

DE CONCORDIA AETHICAE CUM REVELATIONE

Habita xv Kalendas Novembriae anni MDCCCXXII

à *Patre Nicolao Kontzenzger*

STUDIORUM DIRECTO

Christiano et Philosopho Coloniensi Professore



Supplicium

Patris Quidam

EMMO. ET EXCMO.

F **R** **F** rancisco

Cienfuegos et Tovellanos,

SANCTÆ ROMANÆ ECCLESIAE CARDINALI,

Archiepiscopo *Hispalensi,*

Caroli Tertii magnae Crucis Equiti, &c. &c.

*Non deerunt fortassis, Emme., et Excme.
Domine, qui me arrogantiae, et temeritatis
arguendum putent, quod tanto VIRO tam te-*

nue, tamque exiguum munusculum offerre audeam. Quibus ego quidem ipse assentiri cogerer, si TIBI hanc lucubrationem, ut amplitudine tua non indignam, inscriberem. Sed longe alia est consilii mei ratio. Cum enim probe noverim TE et amplissimis tum civilibus in patriæ periculis, tum ecclesiasticis muneribus perfunctum, et Sacrorum Canonum in Hispalensi Academia laurea insignitum, et ejusdem Academiæ Rectorem, et Gaditanum Episcopum, et tandem ad Hispalensis Archiepiscopatus, et Sacræ Purpuræ honorem evectum, Ecclesiæ hostes semper, et ubique, et verbo, et scriptis insectatum esse, nec eos ullo in loco passum esse consistere; et cum hæc oratio, quam TIBI reverenter exhibeo, in eodem argumento tota versetur, speravi TE strenuum Sacræ Doctrinæ Propugnatorem gregarii Comilitonis conatibus favere non dedignaturum. Huc accedit amor vere paternus, quo minimam nostram Societatem prosequeris, in quam tam es benevolus, tam totque modis beneficus, ut omnes nos TIBI in perpetuum devinxeris. Hanc autem occasionem libenter arripui, ut

*et meo et omnium Sociorum meorum nomine
aliquam grati animi significationem TIBI ex-
hiberem.*

*Profecto nos, si minus meritis tuis pares
gratias referre possumus, maximas certe et
agimus et habemus. TE DEUS O. M. Catholicæ
Ecclesiæ bono et Societatis nostræ solatio in-
columem diu servet et sospitet.*

AD SACRÆ PURPURÆ OSCULUM PROVOLUTUS

EMME., ET EXCME. DNE.

Obsequentissimus et devotissimus Servus.

Nicolaus Montemayor.

et nos et omnium Sociorum meorum nomine
 aliquid grati animi significacionem TUI ex-
 hibere. In omnibus tuis litteris
 Projecto nos, si minus meritis tuis partes
 gratias referre possumus, maxime certe et
 agimus et habemus. Te nos & M. Catholice
 Ecclesie bono et Societatis nostre solutio ne-
 cessarium esse sciret et scilicet, *scilicet*

AD SACRÆ PÆTRIS OSCULUM PROPOSITUS

EMME, ET EXCERPTA

[Faint, mostly illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page.]



Si quid est, Auditores amplissimi, quod attentis (1), sedulique Moderatoris curas ac molestias accuratæ et perdifficili adolescentium institutioni deditas, non solum extenuet, sed dulces immo reddat et jucundas, illud est profecto, si quos litteris præstantes, scientiisque conspicuos agnoscit, eosdem virtutis viam et fortiter arripuisse, et constanter sequi pervideat. Quæ quidem veritas, licet neminem vel à remotissimis ætatibus usque repetentem ulla tenus fugiat, eo nobis tamen postremis his temporibus magis conspicua visa fuit, quod post tot acerbissima mala, horridas, teterrimasque procellas, quibus universa Europa diu, multumque exagitur, litteras sine virtutum cultura, aut leves, parvique momenti, aut plurimum perniciosas extitisse comperimus.

Et re quidem vera inter effrænatos acerrimosque et societatis, et reipublicæ hostes impia atque iasaniente Philosophia (quam hoc fecundum culpæ sæculum sibi vindicat) imbutos, quique virus omne impietatis, et

acerbitatis suæ in Deum pariter, et in hominem evomere, hac tempestate sibi sumpserunt, quot ;heu! quot sunt merito enumerandi, qui ubere ingenio præditi, dicendi vi atque copia ornati, et omni eruditionis genere instructi, infaustum, et inane sapientium nomen apud nostrates sibi pepererunt!

Jam vero ea, quæ ad munus studiorum Præfecti recte et accurate obeundum in primis attinent (2), mihi sæpenumero cogitanti, ac fidem, qua me superiore anno vobis obstrinxeram, memoria retinenti, hic de Ethica, morum cultrice ac magistra in pristinam dignitatem restituenda labor in hodierna studiorum nostrorum instauratione pernecessarius est visus. Sed cum homines, qui male societati religionique consultum voluere, hanc egregiam, et præcipuam Philosophiæ disciplinam effræni quadam libertate tractandam his postremis diebus assumpserint, ea, quæ in illorum operibus perperam, vel minus recte incautæ Juventuti traduntur, emendatricem Moderatoris manum expectare, non videre non potui. At vix animum ad hæc opinionum commenta dispicienda adjeceram, cum tantam errorum segetem pravis sententiis pullulantem prospexi, ut, ad ipsa, quo possem modo, in unum redigenda, totus incubuerim.

Istorum itaque propositum ac consilium, qui universam morum disciplinam falsis, absurdisque opinionibus deformarunt, cum diligenter expendo, quam-



quam multis dissideant, in hoc uno tamen, in gerendo scilicet adversum divinam revelationem bello, omnes mihi videntur collineare. Quod quidem inter veram Ethicam et religionem dissidium ad extremum nunquam perducere poterant, quin dignitatem, ac præstantiam Ethicæ protererent et conculcarent.

Ut ergo nunc omnia officio studiorum Præfeci metiamur, nihil inertix nostræ (3) indulgendo, cum hoc acerbissimum prælium ingentem ruinam societati, et religioni minuitur, quantum ipsum detrimenti ac jacturæ Ethicæ, et religioni attulerit, cum in officiis erga Deum exhibendis, tum in illis erga alios, ac se ipsum præstandis, in obsequium juventutis acri animo ad studia tendentis, et quam maxima benevolentia complectimur, demonstrandum suscipimus.

Gaudio equidem exultarem pene incredibili, si nostra hac oratiuncula, potius argumentis philosophicis fulta, quam nitore et Eloquentiæ leporibus condita, lux illa, quæ veritatis socia, comesque est, in animis eorum fulgeret, qui summo cum reipublicæ detrimento morum, et juris naturalis doctrinam è lucubrationibus pravæ sententiarum multitudine scatentibus hac tempestate arripuerunt. Interea illud mihi maximo solatio est, Optimi Adolescentes, quod spero fore, ut his, quæ jamjam dicturi sumus, vos admoniti, illos, in quos alii misere inciderunt, errorum laqueos vitetis.

758

PARS I.

Quonam adverso fato, vel potius qua hominum per-
versitate fieri dicam, ut ea ipsa dona, quæ D. O. M. ad
humani generis felicitatem contulit, in ipsius perniciem
detorqueantur? Inter maxima à divino cùm naturali, tum
supernaturali auctore nobis collata beneficia, proculdu-
bio ratio et religio annumerandæ sunt, quæ amico fœ-
dere consociatæ nos benigno suo lumine ad perennem
beatitatem itinere recto conducunt. Sed humani generis
hostis bono nostro invidens, homines perditos sibi addic-
tos impulit, ut rationem et religionem veluti sibi ipsis
adversas insimularent, quo earum altera à veritatis tra-
mite aberraret, altera vero prorsus everteretur. Quod
quidem cum incautis ;heu! nimium multis persuaserint,
se tamen et rationis et religionis causam agere impuden-
ter glorientur.

Philosophi enim cum hoc infandum teterrimumque
scelus perpetrandum decrevere, de officiis præsertim erga
Deum acturi, eo calliditatis studio (4) vesaniæque im-
petu processerunt, ut sæpe, quæ adversus religionem qua-
si Ethicæ adversantem in medium adducunt, cùm pro
maxima ipsius religionis gloria hactenus præjudiciis quam-
plurimis corrupta ac deformata, tum pro Ethicæ disci-
plinis nativo Philosophiæ candore ornandis, et à crudo

scholasticorum calamo eripiendis; ab ipsis tradita esse dicitant, jactant, prædicant.

His igitur ad fallendum compositis verbis, magnam speciem doctrinæ præ se ferentibus, ne quis in Ethices disciplina minus versatus ita se sinat irretiri, ut hoc offendiculum iter orationi meæ obstruere videatur, ab oculis præsertim juvenum ad nostras Academias confluentium hanc caliginem depellere magni interesse putamus.

Eorum Philosophorum consilium, quibus solemne semper fuit, operam, curamque suam ponere in studio Ethices solidis principiis ex accurata ratione excerptis muniendæ, et ratum semper habuimus, et magno meritoque plausu prosequimur. Tantum enim abest, ut eorum improbemus institutum, qui postremis hisce temporibus universam Ethices disciplinam ab aliis scientiis sejunctam et veluti in habitu proprio emicantem dederunt, quin etiam ipsos de re litteraria benemeritos esse arbitremur. At vero iis assentiri non possumus, qui fervido ingenio res novas intemperanter molienti nimium indulgentes, ut limites humanæ rationis, quantum in ipsis situm est, latius protendantur, à disciplina morum omnem auctoritatem divinam removendam esse censuerunt. Quid enim ad dogmata religionis funditus evertenda accommodatius, quam, neglecto divino fulgore, juris naturalis scita ab uno et revelationis et naturæ luminis conditore edita, proprii tantum ingenii acumine vel-

le deprehendere? Quid imbecilli menti ob circumfusas undequaque tenebras periculosius, quam, semota divina ope, omnia et homini privato, et communi societati præstanda officia suo marte dilucidanda arroganter suscipere? Quid effræni ob peccati vulnus inflictum agendi licentiæ congruentius, quam, posthabita Patrum auctoritate, solutoque omni revelationis repagulo, accuratam honestatis disciplinam excipere ab iis, qui, propter neglectum religionis ductum, in crassos jam errores impegerunt? (5) Quid demum perpolitæ rationi magis dissentaneum quam lucerna illa à revelatione oblata, quæ ad veritatem facilius detegendam ducit, extincta, unica tantum naturæ luce mentem instructam obscuras, implicatasque quæstiones evolvendas aggredi? Sed quid ego his diutius immoror, cum ipsi Pseudophilosophi, qui aliud verbis profitentur, re tamen sibimetipsis contradicentes, nobiscum sentire vel inviti cogantur?

Thomasius (6) enim, à disciplina juris naturalis omne revelatum lumen segregandum decernens, ad sacram tamen Scripturam nonnullas, quas vocat universales leges eruendo, confugit. Heineccius (7), magni apud juris cultores habitus, Ethices disciplinam expensurus, revelationem minime consulendam esse indiscriminatim affirmat (8); societatis tamen primordia inquirens, ex quamplurimis Geneseos locis eruditionem decerpere non dedignatur. Multum splendoris ac perfectionis juri

naturali doctrinam sacram attulisse, vel ipso (9) Puffendorffio teste comperimus; quo magis mirari licet, ipsam (10), Puffendorffio etiam auctore, à disciplina morum relegari oportere (11). Mitto cæteros recentiores, qui revelationis lumen respicientes, sese naturales tantum leges præscripturos dictitant, cum tamen ipsis divinas positivas crebro addant. His, quæ mentem nostram in hac lucubratione aperiant, præmissis, horridum dissidium rationem inter et revelationem à Philosophis, officia erga Deum expendentibus, excogitatum, breviter jam pro temporis angustiis in examen revocemus.

Hominibus severioris Philosophiæ copia instructis jucundum sane ac gratum erit, supernam revelationem et rationem naturalem tenaci nexu conjunctas, de officiiis erga Deum præstandis universum hominum genus erudientes intueri. Ratio enim præstantiam supremi numinis ex pulcherrimo rerum visibilium ordine depromptam, cujus aspectu in tanti Auctoris admirationem rapimur, nobis suppeditat; religio vero abditas Dei perfectiones tenuæ, ac finitum rationis lumen exsuperantes, ob quas ipsi maximum honorem præstemus, nobis suggerit. Hæc vitam totius boni compotem longius post lethum sine fine producendam nobis pro certo dicit, modo ingenitum virtutis et honestatis lumen constanter sequamur; illa totius mentis nostræ aciem jucundissima quiete, purissimisque deliciis perfusam in pulcherrimo numinis aspectu

defigendam, fidei testimonio nos edocet, modo omnibus viribus metam evangelicæ doctrinæ contingere enitamur; hæc debitam supremo Conditori venerationem, quam publicis sacrificiis, externisque signis nationes saltem cultiores, uno, eodemque religionis spiritu ductæ instituerant, nobis prodit; illa eximium cultum Deo exhibendum perenni Patrum traditione, divinisque vocibus confirmatum, quo et hominis dignitas, et numinis majestas ac splendor illustrius coruscat, nobis nuntiat. Sed quid in re clarissima diutius consistimus? Naturali equidem ratione erudimur, unam non posse in Deo prædictis cæremoniis colendo esse singulorum propensionem, unamque voluntatem, quin apud universas gentes homines Deo sacri constituentur, quibus vera sacrorum insit jurisdictionis; disciplina etiam fidei certi sumus aliud et illustrius, et purius, et nobilius conditum fuisse sacerdotium, cui divina illa potestas impertita fuit, ut vices numinis in terris gereret; ipsius iratum animum hostia purissima leniret, causam hominis perpetuo ageret, jura religionis strenue vindicaret, dies festos superiorum nomine ageretur, remque universam sacram legitima jurisdictione potitum expediret.

Quibus rebus expositis, rationem, et revelationem quasi arctissimo vinculo devinciri, satis vobis esse arbitror demonstratum: videte nunc, Auditores amplissimi, an non eversores præclaræ rationis, et sanæ Ethicæ sint, qui reli-

gionem naturalem ac revelatam, universa officia Deo exhibenda complectentem, non modo inter se non coherere, immo vehementissime repugnare, superbe autumant; attendite nunc, an non pestis humanæ societatis sint, qui religionem revelatam, ingentia et præclara munera hominibus largientem, ipsorum hominum excellentiam deprimere, agrestesque societati reddere, insipienter asseverant; animadvertite, quæso, an non exterminatores naturæ sint, qui reconditam mentis religionem, uno naturæ impulsu, unoque divino afflatu obsignatam, atque sancitam, proprio tamen Marte uniuscujusque arbitrato esse prodendam, vafre contendunt.

Quod si hæc ipsa, A. A., à nitido, vestroque imperturbato rationis lumine perfecte, planeque deprehendantur: fierine poterit, quin Philosophi hoc infandum inter Ethicam, et revelationem dissidium molientes ad inertiam, cupiditatem, et libidinem suam obtegendam, tanquam putidam Atheorum doctrinam profitentes sint vobis futuri? Nihil vobis ejusmodi in mentem venit? Hominem natura lenem, in hoc tamen amplissimo congressu, stomachari in Philosophos cœpisse miramini? Sistite, obsecro atque obtestor, vos enim præstanti doctrina præditos tanquam judices et testes hujus causæ, non immerito consulendos arbitror; judicium, quæso, paulisper suspendite.

Philosophia enim timens, ut opinor, ne ipsam, de officiis erga Deum exhibendis callide disserentem, sine

circuitione verborum plane atheam nunc appellem; hoc tantum dedecus, prout decet morum altricem, atque Ethices magistram, ægre ferens mihi obviam prodire, meque amaris his querimoniis aggredi videtur.

Meos in vindicanda religionis gloria insumptos labores non tu debitis excepisti laudibus et præconiis, quinimmo probrosis contumeliis immerito traduxisti: nobilius, ac magnificentius de me tibi erat sentiendum, ipsa enim, quam maxima contentione instaurare studeo, religio, non ex homine recentioris Philosophiæ experte, nec ex præconceptis scholæ opinionibus est repetenda, sed ex ipsius prorsus naturæ fulgore, his nempe virtutum honestatisque seminibus, quæ à natura ipsa nobis indita sunt: et uberius est deducenda, et nitidiore methodo tradenda, scito, inquit, illam eximiam religionem, quam non opinio genuit, sed quædam innata vis in omnium animos mentesque insevit sine mysteriorum caligine, sine miraculorum ambiguitate, sine cæremoniarum apparatu, sine principatus tyrannide in commodum civilis societatis (12) à me quasi de integro inventam, atque in lucem editam fuisse; in memoriam revoca hanc ipsam religionem, quam imbecillitas humana pravis erroribus obnoxia contaminavit, quam sacerdotum calliditas suæ potestatis cupida fædavit, quam immoderatum se ditandi studium deturpavit, à me è tenebris erutam, et ex omni squalore revocatam fuisse. Nihilque nunc pro eo, quo sum,

erga hominum societatem studio, ac misericordia prætermisi, ut hæc una toto orbe terrarum, reliquis omnibus superstitionibus propulsatis, pace regnet, jure dominetur, rerumque universarum potiatur. Tibi hæc mente percurrenti, piaculum non est ducendum, me Atheismi dedecore, atque ignominia inurere?

Audio hæc, quibus me Philosophia stultitiæ et temeritatis ad Juvenes Ethicæ disciplinæ cultores Dei notione intelligentiaque privandos vehementer insimulavit. Audio hæc, quæ Philosophia à Rousseau (13), Voltaire (14), Bolingbrokio (15), Enciclopedistis (16) mutuata est, ob quæ Deismum ab Atheismo parum, aut nihil distare, est nobis comperiendum. Audio hæc, et mitto similia, quæ in his Philosophorum scriptis longissime à veri honestique via aberrant, ne vobis hujusmodi nugis repetendis fastidium generem. Sed tamen in his, quæ reminiscendi causa in unum aspectum subjiciuntur, quas sententias colligit Philosophia, quæ verba contorquet, quas ambages ad juventutem his ratiunculis fallendam quæsitivæ?

Quid sibi vult dicas amabo, Philosophia, illud vehemens ac cupidum, quo flagrare simulas pro religionis naturalis gloria vindicanda studium? Oculis lustra tuis illam validorum militum classem ad totius religionis excidium jamjam comparari; hoc exploratum habeto, ipsos furentis agminis strenuos tribunos religionem natu-